

Ob-12

1903 s.



# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCCIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROF. DR. A. KRANICH COMMENTATIO APOLOGETICA:  
QUA VIA AC RATIONE CLEMENS ALEXANDRINUS ETHNICOS AD RELIGIONEM  
CHRISTIANAM ADDUCERE STUDUERIT.

PARTICULA I.

---


BRUNSBERGAE.  
TYPIS HEYNEANIS (G. RIEBENSAHM).  
1903.



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. FRANCISCUS NIEDENZU,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



1943:202

**LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS  
RECTORE ET SENATUS  
CIVIBUS SUIS**

**S.**

---

**Qua via ac ratione Clemens Alexandrinus ethnicos ad  
religionem christianam adducere studuerit.**

**Particula I.**

Ut nullo unquam tempore defuerunt, qui quasi comprobantes illud „omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae“<sup>1)</sup> religionem et disciplinam christianam aut neglegerent atque contemnerent aut vi et ingenio impugnarent, ita omni tempore viri doctissimi, theologi et philosophi, in defendenda atque confirmanda fide christiana magnopere laborarunt. Quae tamen defensio ac confirmatio ut optime institueretur et firmior graviorque existeret, complures semper res velut tempora, genus et arma adversariorum, alia respicienda erant imprimisque, quae ratio argumentationis aptissima et aliis praeponenda esset, deliberandum erat.

Et nostra ipsa aetate, qua non paucos fidei christiana vehementer adversari nemo ignorat, sat multos apologetas christianos et gloria ingenii scientiae litterarum ornatos contra hostes nominis christiani in arenam prodiisse multumque secum reputasse, quae via ac ratio defensionis sibi ineunda esset, mirum esse non debet.<sup>2)</sup> Nam in hoc de quo quaeritur luctandi genere ea videtur prima lex esse, ut qui scite veritatem christianam defensurus est, modum suum progrediendi et argumentandi accommodet ad genus certaminis et armorum quo utatur adversarius. Novitas hostis, novitas impetus flagitat modum refutationis novum atque aptissimum. Attamen quia veritas semper una eademque est et errores saepe iterari solent, multum, opinor, juvat videre et cognoscere, quam rationem fidei christiana defendendae adhibuerint defensores ejusdem clarissimi temporibus praeteritis; cumque nobis licuerit eorum exemplis discere, quomodo contra errores melius pugnemus, pro veritate certemus utilius, non dubitabimus eos sequi et imitari diligenter, quatenus par est.

---

<sup>1)</sup> I. Joan. II, 16.

<sup>2)</sup> Cf. Schanz, Ueber neue Versuche der Apologetik gegenüber dem Naturalismus und Spiritualismus, Regensburg, 1897. C. Didio, Akademische Monatsblätter, Jahrg. XIV No. 6, 7 und 8. Schell, Apologie des Christentums, I. Band, Vorwort. Christian Pesch, S. J. Theologische Zeitfragen, I. Serie. Leon Ollé-Laprune, Le pris de la vie, 8. éd. Paris 1901. De Broglie, Problèmes et conclusions de l'histoire des religions, 3. éd. Paris 1897.

Jam vero si inter alterum post Christum natum saeculum et nostram aetatem similitudines quaedam inveniuntur,<sup>3)</sup> certe una consistit in eo quod nunc ut tunc religio christiana contra adversarios ejusdem fere generis et eos quidem scientia eruditos vel philosophos propugnanda est. Et eodem tempore quod dixi viros illos, qui primaevae Ecclesiae apologetae vocantur, contra omnes qui exorti sunt hostes fidei catholicae fortiter proeliatos esse multosque ethnicos ad fidem catholicam adduxisse, inter omnes constat. Prae aliis autem Clemens Alexandrinus, philosophus et apologeta, commemoratione dignus videtur; in cujus libris, qui fidem christianam aut contra negative infideles aut contra positive infideles quos dicunt veram esse demonstrare voluerit, non versabitur quin magnam utilitatem capiat.

Multi quidem auctores de Clemente scripserunt;<sup>4)</sup> neque vero uno ore consentiunt in judicio, si quaerimus quae vis et auctoritas theologiae Clementis tribuenda sit;<sup>5)</sup> sed hoc missum facio. Magni hisce nostris temporibus momenti est ea quaestio, qua via ac ratione Clemens, vir ille summa omnis generis doctrina instructus, ethnicos ad fidem christianam adducere studuerit et sitne exemplar boni defensoris fidei christiana; quae quidem quaestio nondum satis accurate pertractata mihi videtur.<sup>6)</sup>

Ad rem tamen quam quaerimus non omnia Clementis opera, quae exstant et habentur genuina,<sup>7)</sup> pertinent. Quocunque enim singula eorum sibi volunt et utcunque ea se habent invicem, quin liber ille, qui inscriptus est „Cohortatio ad Gentes“ (*λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἑλληνας*), ad rem nostram propositam maxime spectet, dubium non est.<sup>8)</sup> Ut jam titulus ejus significat, Clemens eam conscripsit ad id, ut ethnicos imprimisque philosophos Graecos a paganismo averteret, ad religionem christianam adduceret atque ad s. Baptismatis Sacramentum suscipiendum praepararet. Ita patet „Cohortationem ad Gentes“ esse primam partem magni operis quod Clemens compositus aut saltem componere atque ad finem perducere in animo habebat, sed non absolvit.<sup>9)</sup>

Ut jam ad rem proprius accedamus, in „Cohortatione ad Gentes,“ quem librum in se perfectum esse omnes censem, duplex argumentationis genus distinguere possumus. Unum genus, quod appellatur negativum, positum est in refutatione superstitionis ethnicorum; alterum, quod positivum dicitur, est id quo fides christiana probatur atque ethnicorum animi conformantur et instituuntur et idonei efficiuntur ad gratiam Baptismatis consequendam.

3) Cf. Eugène de Faye, Clément d'Alexandrie. Étude sur les rapports du christianisme et de la philosophie grecque au IIe siècle. Ibi leguntur haec: L'histoire morale et religieuse du IIe siècle rappelle par plus d'un trait celle des vingt-cinq dernières années du XIXe siècle.

4) Cf. Bardenhewer, Patrologie, 2. Auflage, p. 114 ssqq. Ehrhard, Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1880—1884, p. 78. Ejusdem: Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1884—1900, I. Abteilung, die vornicacische Litteratur, p. 198 ssqq.

5) Cf. Patres Graeci, ed. Migne, Tom. VIII. p. 34, ubi „veterum testimonia“ de Clemente enumerantur. Nourry, Apparat. ad Bibl. max. sanct. Patr. tom. I, lib. 3. Ceillier, de script. Eccles. tom. II. cap. 26, n. 14. Nirschl, Lehrbuch der Patrologie und Patristik. Vol. I, p. 209 ssqq. Bardenhewer, I. c. Ehrhard, I. c. Merk, C., Clemens Alexandrinus in seiner Abhängigkeit von der griechischen Philosophie. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, I. Vol. p. 501 sqsq. De Faye, I. c.

6) In „Neue Kirchliche Zeitschrift“ (Erlangen und Leipzig 1892 p. 573 ssqq.) generaliter quidem disserit G. Mayer in commentatione sua „Die altchristliche Apologetik in ihrer normativen Bedeutung“ de apologetis primaevae Ecclesiae eorumque via ac ratione argumentationis; exempli gratia ibi haec dicit: „Normativ nenne ich die altchristliche Apologetik, insofern die in ihr auftretenden Gesichtspunkte, nach welchen, sowie die Art und Weise, wie die christliche Wahrheit verteidigt wird, auch für die apologetische Tätigkeit der Gegenwart in mancher Beziehung vorbildlich und beachtenswert erscheinen müsse.“ Sed nobis rectum videtur quod judicat Ehrhard I. c. de his verbis et dissertatione Domini G. Mayer. „Ein guter Gedanke“, ait, „dessen Durchführung indes bei Mayer zu wünschen übrig lässt.“

7) Sunt haec: Cohortatio ad Gentes (*λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἑλληνας*), Paedagogus (*παιδαγωγός*), Stromata (*Στρῶματα* sive *Στρῶματεῖς*), Quis dives salvabitur (*Τίς ὁ σωζόμενος προύστιος;*).

## I.

### Quomodo Clemens refutet religionem ethnicorum.

1. Clementis aetate quum saeculo post Christum primo nec religio nec philosophia gentilis a vulgo aut a philosophis ipsis magni duceretur, sed potius utraque futilis ac contemptibilis haberetur, Neoplatonici ethnicorum oracula et mysteria, quae antea in honore fuerant, summopere renovare studebant eaque, ut facilius etiam hominum eruditorum animos caperent et tenerent, cum philosophia conjungebant vel elementis ejus commixtis adjuvabant ac sustinebant.<sup>10)</sup> Quam rem quum Clemens non ignoraret, oraculorum et mysteriorum ethnicorum pravitatem atque iniquitatem ut patefaceret, necessitas poscebat. Itaque statim Graecos sic alloquitur:<sup>11)</sup> „Nolite scelerata impiaque adyta curiosius explorare.“ Perlustrat deinde singula eorum oracula cujusque generis neque silentio praeterit „augures et somniorum conjectores.“ Quae omnes institutiones quam stultae ac vanae sint, Clemens ita demonstrat, ut ratio humana, nisi sibi ipsi vult repugnare, consentire coacta sit. Denique licet ei addere haec verba:<sup>12)</sup> „Vesanae profecto illae sunt infidelium hominum fallendi artes.“

Oraculis confutatis Clemens transit ad enucleanda et destruenda ethnicorum mysteria et imprimis Bacchi, Cereris „quae scelerum ac mortis semina in hominum vitam intulerunt.“<sup>13)</sup> Quid vero Clemens de mysteriorum istorum auctoribus sentiat, colligas ex his ejus verbis:<sup>14)</sup> „Istos equidem profanarum fabularum ac pestiferae superstitionis parentes, malorum principes fuisse omnium merito dixerim.“

Quae autem qualisque origo et quanta obscoenitas ac turpitudi mysteriorum et orgiorum, quae in honorem deorum et dearum celebrabantur, re vera fuerit, Clemens prorsus cognitum habet neque, ut ethnicos ab ejusmodi festis et ceremoniis revocet, exponere dubitat. Audiamus, quo pacto has res tractandas annuntiet.<sup>15)</sup> „Ego vero,“ ait, „abdicta penitusque recondita palam in omnium luce collocabo, nec me pudor ab iis proferendis revocabit, quae vos divinis honoribus colere non pudeat.“ Non est, quod de his rebus, quibus vix quidquam turpius cogitari possit, plura ex „Cohortatione ad Gentes“ depromamus.

Nec mirum, probri et infamiae plena esse et symbola, quae traduntur iis, qui mysteriis initiantur. Bacchi quidem mysteriis expositis eorumque symbolis descriptis Clemens facete: „haec“, inquit,<sup>16)</sup> „illa sunt praeclera mysteria, verbo, caedes ac sepultra.“ Et sermonem quem facit de signis ac sym-

<sup>8)</sup> Acute quidem sed non in omni genere emendate disputat (l. c.) De Faye de Clementis operibus. Quod autem de eorum natura ac ratione disserit De Faye, partim novum est delectatque nos maxime. Id unum hic commemooro quod ab eo exprimitur sic: „Les stromates font partie d'un vaste ouvrage que Clément n'a jamais puachever, mais dont il nous a laissé le plan. Ce plan se trouve exposé dans un passage, dont nous donnons ici la traduction“ pag. 46 . . . Cf. Paedagogus I, cap. . Editio Potteriana, Oxonii 1715, apud Migne P. gr. VIII—IX (1857) repetita. Tom. I (sive VIII) pag. 250. De Faye deinde pergit: L'ouvrage que Clément se propose d'écrire aura trois parties. La première s'adressera aux païens. L'auteur y fera oeuvre de propagande. Son but sera de détacher ses lecteurs du paganisme et de les amener au christianisme (pag. 47.) . . . le résultat que Clément veut obtenir par sa première partie, c'est de mettre son lecteur en état d'être baptisé.“ (pag. 48). Cf. Ehrhard l. c.

<sup>9)</sup> Cf. De Faye, l. c. pag. 49 et 76 ssqq.

<sup>10)</sup> Cf. Kellner, Hellenismus und Christentum, p. 163 sqsq.

<sup>11)</sup> Cohortatio ad Gentes, c. 2. pag. 68. (Edit. Migne)

<sup>12)</sup> l. c. p. 69. . . ἀνθρώπων ἀπίστων σοφιστίᾳ.

<sup>13)</sup> l. c. p. 76.

<sup>14)</sup> Cohortatio, II, pag. 76; cf. pag. 73. Male pereat . .

<sup>15)</sup> l. c. pag. 76.

<sup>16)</sup> l. c. pag. 81.

bolis mysteriorum eleusyniorum hisce prosequitur verbis<sup>17)</sup>: „Egregia vero spectacula quaeque deam in primis deceant: imo, digna sane tenebris ignique mysteria.“ Similiter locutus de symbolis quae pertinent ad mysteria Themidis exclamat sic:<sup>18)</sup> „O gnavam perfrectamque impudentiam! Hominum temperatiorum voluptas olim noctis silentio tegebatur; nunc vero nox est, quae initiandis sacra libidinis enuntiat; adeoque ignis flagitia succensis facibus illustrata pandit . . . . Haec igitur illa sunt hominum atheistorum mysteria. Jure enim atheos dixerim, qui a veri Numinis cognitione prorsus alieni . . . ut dupli nomine impietatis ac negatae divinitatis rei teneantur: altero quod Deum ignorent, dum nequaquam eum qui vere Deus est, agnoscent: altero quod eos superesse, qui non sunt, arbitrentur illosque deos nuncupent, qui tantum a vera divinitate absunt, ut ne supersint quidem nec praeter nomen aliud quidquam sint consecuti.“

Hic jam subsistamus paulisper, ut rationem argumentandi, qua utitur Clemens in iis quae adhuc in medium protulimus, accuratius consideremus et perpendamus. Prima quidem lex, quam sequatur apologeta, statuenda videtur ea, ut ille, nisi frustra vult pugnare contra adversarios suos, rerum, quas confutandas suscipiat, scientia sit instructus atque exornatus. In hoc vero genere num quisquam Clementi philosopho illi, qui in paganismo natus ei per tempus quoddam enixe adhaeserat, aequiparari possit, non jam quaeremus, si, quae idem disputat de religione Graecorum, legerimus vel cognoverimus, e. gr. verba ejus haec<sup>19)</sup>: „Non ea (i. e. mysteria) quidem temere vulgabo, ut Alcibiadem fecisse tradunt, sed tamen belle admodum quidquid sub iis praestigiarum latet, nudabo per verbum veritatis quosque deos nuncupatis atque mysticis ritibus colitis, illos sic tamquam in aliqua hujus vitae scena inclusos veritatis spectatorum oculis objiciam.“ Id igitur quod recens apologeta praecipit<sup>20)</sup> defensoribus fidei christianaे nostra aetate, Clemens jam plane probat observatque. Sed aliud dignum puto, quod commemoretur ac diligentius ponderetur. Clemens enim quum id maxime agat, ut quibus erroribus implicati sint et quam detestabiles res adhuc amplexi sint, ethnici intellegant, et quae coluerint quasi sua sponte damnent atque respuant, dubius esse non potest, quomodo id judicium efficiatur vel, quo ex fonte sumatur vis ac facultas recte cogitandi judicandi in rebus, quae pertinent ad venerationem deorum et dearum. Persuasum habet, initium ejus cognitionis, de qua agitur, esse „naturam rationemque“; enjus „vis“, ut ait Cicero,<sup>21)</sup> „non est parva, quod unum hoc animal (i. e. homo) sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisque, quid modus.“ Immo, si, ut idem Cicero ait,<sup>22)</sup> „homo, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas videt rerum,“<sup>23)</sup> „in primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio,“ et si „. . . similitudinem natura ratioque ab oculis ad animam transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandum putat cavetque (sc. homo) ne quid indecore effeminateve faciat, tum in omnibus et opinionibus et factis ne quid lubidinose aut faciat aut cogitet:“<sup>24)</sup> suo jure Clemens huic Ciceronis doctrinae, quae non aliena est a Graecorum quorundam philosophia, non repugnans postulat vel potius postulare debet ab ethniciis, ut ratione utantur duce et magistra, si quidem iniquitatem mysteriorum suorum cognoscere et pernitiem aeternam effugere velint. „Ratio docet et explanat quid faciendum

17) Cohortatio, II, pag. 88.

18) I. c. pag. 90.

19) Cohortatio II, pag. 70 sq. . . . ἀπογνωσκω δὲ εἰ μάλα ἀνὰ τὸν τῆς ἀληθείας λόγον.

20) „Akademische Monatsblätter“ 1902, No. 6, pag. 129, ubi Dr. theol. C. Didio in dissertatione „Aufgabe und Methode der Apologetik“ haec scribit: „Sie (die Apologetik) hat die Aufgabe, die Gebildeten aller Zeiten mit der Kirche zu vereinen; deswegen muss sie dieselben da aufsuchen, wo sie sich aufhalten.“

21) De officiis, I, 4.

22) De officiis, I, 4.

23) De off., I. c.

24) De off., I. c.

fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet.<sup>25)</sup> Atque eandem viam ac rationem erroris refutandi, quam Clemens init, per saecula quae secuta sunt omnia etiamque nostra aetate approbatam atque adhibitam esse, quis est qui nesciat?<sup>26)</sup> Ac ne ii quidem, qui contra errores recentioris temporis adversus fidem christianam subertos novam methodum quae dicitur apologeticae capientem esse arbitrantur, Clementis argumentationem negativam contemnere poterunt.

His de ratione, qua Clemens utitur in refutatione mysteriorum ethnicorum, expositis, jam pergamus et quomodo in diluendo cultu deorum progrediatur, videamus. Quam enim stulta et turpia sint festa quae ethnici celebrant in honorem deorum, si jam satis patet ex iis quae hue usque attulimus, magis etiam corroborat Clemens hoc argumentum factis exemplisque, quae apud ethnicos ipsos suppetunt, ante oculos positis. Liceat hic commemorare, quod Clemens de rege quodam Seytharum narrat. „Bene,” inquit,<sup>27)</sup> „illi Seytharum regi, quounque fuerit nomine, qui civem quemdam suum, cum sacra Matris deorum, quae apud Cyzicenos fiebant, in Scythia imitaretur tympanumque pulsaret et cymballo e collo pendenti, tamquam Menargytes aliquis, insonaret, sagittis effodit; ut qui Graecorum mollitia corruptus effeminatas artes in Scythiam inveheret.“ Neque minus ethnicos cultui deorum inhaerentes movere possunt eosque ab iniuitate superstitionis revocare ejusmodi viri gentiles, qui solummodo rationis vi utentes religionem inter et religionem discernunt cultumque deorum rejiciunt. Sunt autem tales viri, quibus Clemens testibus uti possit; provocat enim ad „multos qui sobrie sapienterque vitam instituerunt et ad pravas de diis opiniones perspicaciores reliquis hominibus fuerunt... Quamvis nec hi veritatem sunt assecuti, sed aliorum duntaxat errores senserunt: quod quidem ipsum haud exiguum est semen, e quo lux veritati sit oritura. Quidam ex his praecepit Aegyptiis: Si deos existimatis, nolite eos lugere neque plangere, sin vero lugetis, nolite amplius deos esse putare.“<sup>28)</sup> Haec cognitio unde deducenda sit, declarat Clemens, sicut et fontem ignorantiae oppositae indicat, prompte ac concinne. En eius verba<sup>29)</sup>: „Erat (autem) antiqua quaedam et nativa homini cum Deo communitas; quae quidem, cum diu fuisset ignoratione obscurata repente tandem e tenebris exiliit et resplenduit“ . . . „Sed pravae rectoque alienissimae et manifeste pernitosae sententiae hominem coelesti stirpe prognatum abduxerunt a coelesti vita et persuaserunt in creaturas terrenas adhaerescere, hicque humi prostraverunt.“<sup>30)</sup> Et iterum arguit Clemens hanc ignorantiam, cuius „extrema<sup>31)</sup> plane sunt impietas et supersticio;“ „extraque summopere laborandum est ut consistamus.“

25) De off., I, 28; cf. I, 27, I, 29; I, 30, quo loco leguntur haec: Atque etiam, si considerare volemus quae sit in na'ura hominis excellentia et dignitas, intellegemus, quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere quamque honestum parce, constinenter, severe, sobrie.“

26) Quod disserit Dominus Prof. Dr. Schell in libro suo „Apologie des Christentums“ I., Vorwort pag. XII sqsq. de quaestione, quid sit propositum apologeticae et quomodo eadem efficere et assequi possit, quod vult, non tollit sed confirmat modum argumentationis Clementis. Laudat enim ibi Schell „Das Zutrauen auf die Kraft der Vernunft“ (pag. XIII), poscit „Die Apologetik der Zuversicht“ (pag. XII); deinde postquam nova litterarum apologeticarum studia examinavit et quae falsa videntur repulit, haec addit verba gravissima: „Was nützen alle Postulate und Actionen ohne das Zutrauen zur Vernunft und zum Kausalgesetz, ohne die Zuversicht, dass der richtige Vernunftgebrauch und die richtige Anwendung des Kausalgesetzes zur Wahrheit führe? . . . Könnte der Wille seine Vollendung gewinnen, wenn die Vernunft nicht die Wahrheit erreichte?“ (pag. XXIII.) . . . „Darum halten wir an der intellectualistischen Grundlage der alten Apologetik fest und verehren in ihrem Principe des Intellectualismus die philosophia perennis. . . Die Apologetik der Vernunft erweist ihr Recht, indem sie sich in der Anwendung ihres Princips allem Neuen und Lebensstarken gewachsen zeigt“ (p. XXIV). Cf. Didio, I. c.

27) Cohortatio II, pag. 89 et 91. De primis verbis cf. Herod. IV, 76.

28) Cohortatio, II, p. 91 et 93.

29) Cohortatio, II pag. 93: Ἡν δέ τις ἔμφυτος ἀρχαία πρὸς οὐρανὸν ἀνθρώπους κοινωνία, ἀγνοίᾳ. . .

30) Cohortatio, II, pag. 96: Ἀνοιαι . . . ὡς ἀληθῶς τὸ οὐράνιον φυῖον τὸν ἀνθρώπον, οὐρανίον

ἔξετρεψαν διαίτης καὶ ἔξετάννουσαν ἐπὶ γῆς . . .

31) Cohortatio, II, pag. 93: Ακρότητες ἀμαθίας . . .

2. Ut jam Clemens magis magisque ethnicos a diis eorumque cultu avertat et eis aditum ad veritatem cognoscendam patefaciat, exponit eis, quam diversa ratione ac via homines a Deo vero discesserint et in errorem rapti et ad impietatem exitiumque delapsi sint. Et recte ita; nam qui, quomodo erraverit, intellexerit, eo facilius, qua via redeat vel redire ad veritatem debeat, cognoscet. Admodum vero nos delectat expositio Clementis de polytheismi qui dicitur origine et generibus. Septem quidem enumerat fraudes quibus homines capti ad opinionem, multos ac varios esse deos, lapsi sunt. Quae fraudes fere omnes inde natae sunt, quod homines ignorantia et iniquitate ducti Dei veri et unici opera deos haberent eaque colerent aut aliis de causis affectibus quibusdam animae, calamitatibus, vitiis, beneficiis a benigno et vero Deo datis, virtutibus divinitatem tribuerunt honoremque divinum dederunt.<sup>32)</sup> Sed longum est, quae Clemens loco quem diximus disputat, ea singula hic persequi.

At non sufficit Clementi ea modo refutare, quae pertinent ad cultum et festa deorum et dearum, et aliquot veritatis scintillas ethnicis monstrare, verum etiam, priusquam uberiorius eos de Deo vero doceat, deos ipsos, quos ethnicici colunt divino honore, tollendos atque prorsus destruendos suscipit. Neque enim nescit Clemens, ethnicos, simulatque deos suos et deas plane deseruerint et odio adversus eos imbuti sint, facile se vero Deo colendo tradituros esse. Intellegit igitur summam sibi dandam esse operam, ut demonstret, deos ethnicos esse inanes et omnino nullos. Ita nobis innotescit sensus verborum Clementis quae addo hic<sup>33)</sup>: „Atque hactenus de lubricis et exitiosis egressibus a veritate, quibus homines a coelo detrahi et in barathrum impelli solent. Restat nunc, ut interius vobis ostendam, qui qualesque fuerint dii vestri: ut ab his erroribus tandem aliquando desistentes in coelum revertamini.“

Attamen Clemens antequam, qui qualesque sint dii Gentilium, explanet, facere non potest, quin monstraret, quo eorum oculi, si retrahant se a diis eorumque cultu, se vertere possint vel quo ipsi fugere queant repulsi ab errore. Quare profitetur, se ipsum quoque et alios christianos, in quorum nomine loquatur, quondam erroribus ethnicorum obcaecatos, tunc Dei filios factos esse. Commemoratu autem dignum videtur quod Clemens alloquens ethnicos et suam aliorumque felicitatem a Christo acceptam laudans s. Scripturae verbis partim utitur. „Eramus enim,“ inquit,<sup>34)</sup> „et nos filii irae sicut et ceteri; Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum jam essemus mortui peccatis, convificavit nos Christo (Ephes. II, 3, 4, 5). Vivens enim Verbum et conseptulum<sup>35)</sup> Christo una cum Deo extollitur. Qui vero adhuc in sua infidelitate persistunt, filii irae vocantur, ut qui ad iram Dei subeundam nutriantur. Nos autem qui errore liberati totis viribus ad veritatem contendimus, nequaquam adhuc irae filii sumus. Quocirca nos, qui quondam improbitatis filii fuimus, jam per Verbi clementiam Dei filii sumus facti.“

Jam vero Clementi, quomodo incipiat demonstrare ethnicorum deos esse fictos atque inanes, quaerenti non inutile videtur, haec quoque in re ethnicis verba auctorum imprimisque poetarum gentilium — si quae sunt — objicere, quibus dii non solum contemnuntur, sed etiam tolluntur vel prorsus repudiantur. Et in libris scriptorum illorum inveniri ejusmodi testimonia, quomodo lateat Cle-

<sup>32)</sup> Cohortatio, II, pag. 96.

<sup>33)</sup> Cohortatio, II, pag. 97. . . . ΕΘέλω δὲ ὑμῖν ἐν χρῷ τοὺς θεοὺς αὐτοὺς ἐπιδεῖξαι ὅποιοι καὶ τίνες εἰσίν. . . .

<sup>34)</sup> Cohortatio, II, pag. 97.

<sup>35)</sup> Ζῶν γὰρ ὁ Λόγος καὶ συνταχεῖς Χριστῷ συνψήνεται Θεῷ. In textu latino, qui est apud Migne, legitur „conseptulum“ (*συνταχεῖς*) et refertur ad „Verbum“; cf. annotationem 30. Magis tamen mihi placet conjunctio verborum quam praefert Dr. Hopfenmüller (*Ausgewählte Schriften des Titus Flavius Clemens, — aus dem Urtexte übersetzt* p. 117, n. 2) et juxta quam nomen „*συνταχεῖς*“ non ad „*Λόγος*“ referendum, sed intellegendum est de homine justificato; ita verba antecedentia ut enuntiatum per se sumenda sunt, et cum sequentibus verbis incipit nova pronuntiatio.

mentem? Praefatur autem sic<sup>36)</sup>: „... quae de vestris diis traduntur, maxima quidem ex parte ficta sunt et commentitia: cetera autem quaecunque vere gesta fuisse putantur, ad alium neminem, pertinuisse memorantur quam homines libidine atque omnibus vitiis infames.“ Deinde monet eos, ut relinquant deos suos hisce Empedoclis poetae Agrigentini usus verbis<sup>37)</sup>:

„Cum fastu miseri erratis, verique relicto  
Tramite, per sentes fugitis, perque torrida spinis  
Devia. Quorsum isthaec! studiis absistite vanis,  
Mortales, pulsaque diem comprehendite nocte.“

Huic de inanitate et futilitate deorum et dearum argumentationi Clemens novam tribuit auctoritatem, quum scite et copiose disserit de eorum numero, diversate, actionibus, patria, artibus, mortalitate, sepulchris, vinculis, pugnis, servitute, conviviis, compotationibus, amoribus, lacrimis, perturbationibus, impudicis voluptatibus, adulteriis, aliis, et hic illic testimoniis ex auctorum ethnicorum libris petitis ea, quae disputat, probat atque confirmat. Supervacuum puto hic plura de rebus, quas significavi, in medium proferre; et profecto, taedet me, fateor, ejusmodi res fusius tractare neque timeo, ne non succenseas mihi, lector benevolentissime, quod singula, quae Clemens suo jure ethnicis ante oculos ponit, hic silentio pratereo. Quod autem Clemens ut fructum ex argumentatione sua capiendum ethnicis praebet continetur admonitionibus et cohortationibus, ut illi agnoscant, „non esse deos, quos colant“<sup>38)</sup> neve veritati jam resistant. Ejusmodi verba, quae hoc spectant, sunt e. gr. haec<sup>39)</sup>: „O miseri, qui totam vitam vestram, minime quidem vitalem, tam nefariis ludibriis implevistis! . . . Atque tales sunt ipsis dii: tales autem sunt ipsi quoque, qui in divina religione ludunt aut potius sibi illudunt et gravissimas contumelias intorquent.“ „Praecipit (scil. ut desistant a diis) etiam ipsa veritas, quae deorum turbam exuit his terribilibus larvis, quae stuporem imperitis incutiunt et opiniones temere conceptas, detecta nominum similitudine redarguit.“<sup>40)</sup>

3. Deinceps Clemens transit ad explicandam aliam rem, quae non minus flagitiosa est quam quae antea exposita sunt quaeque ethnicos, si ipsi in judicanda re utuntur consilio et prudentia, ad repudiandos repellendosque deos non parum incitat. Agendum enim videtur ei de sacrificiis, quae offeruntur diis, et de templis, quae in eorum honorem aedificata sunt. Miramur vero, quod Clementem de hac quoque materia tam scite quam copiose disputantem videmus. Maxime autem laborat in eo, ut quanta crudelitas ac ferocitas deorum sacrificia flagitantium sit, aperiat. Et summa quidem immanitas cernitur in illis sacrificiis quorum objecta ut dicunt sunt homines ipsi; neque Clemens dubitat affirmare, ejusmodi sacrificia nihil aliud esse nisi parricidia vel victimas.<sup>41)</sup> Unde simul optimo jure colligit, „immanes daemones capitali odio in homines flagrare, iis vehementer insidiari ipsorumque pestem interitumque moliri.“<sup>42)</sup> „Quomodo enim fieri potest, ut qui mali sunt, aut verum dicant aut cuiquam prosint?“<sup>43)</sup> Ita quidem facile est Clementi ostendere, quis diis seu daemonibus multo sit melior. „Is autem,“ ait,<sup>44)</sup> „erit Cyprus et Solon . . . quos haud dubitaverim fatidico Apollini anteferre.“

<sup>36)</sup> Cohortatio, II, pag. 97. Τὰ μὲν δὴ πλεῖστα μεμνθενται καὶ πέπλασται περὶ θεῶν . . .

<sup>37)</sup> Cohortatio, I. c.

<sup>38)</sup> Cohortatio, II, pag. 121.

<sup>39)</sup> Cohortatio, II, pag. 117 sq. . . τὸν πάντα ὑμῶν ἀβίωτον ὅντως βίον ἐμπεπληκότες. . . . ἐννθρώποις σφιστν αὐτοῖς.

<sup>40)</sup> Cohortatio, II, pag. 120.

<sup>41)</sup> Cohortatio, III, pag. 125 et 128.

<sup>42)</sup> Cohortatio, III, pag. 128.

<sup>43)</sup> Cohortatio, III, pag. 128.

<sup>44)</sup> Cohortatio, III, pag. 129.

Quod attinet ad tempora deorum, Clemens „honesto quidem ea nomine i. e. nomine templorum celebrari, ceterum autem aliud nihil fuisse quam sepultra, quibus deinceps hanc templorum indiderint appellationem,“ planum facit.<sup>45)</sup> Subjicit hoc<sup>46)</sup>: „Vos ergo nunc saltem superstitionem dediscite vel hac tumolorum cultus indignitate revocati.“ Tum postquam argumentationis vim exemplis allatis adauxit, iterum ethnicis probro ac dedecori dat, quod sepulchra pro diis venerantur, eosque impellit, ut prudenter agant seque a superstitione sua liberent. En ejus verba gravissima<sup>47)</sup>: „... vos autem, ni scelerum istorum pudor vos aliquis ceperit, ite porro vereque mortui cum vestram in hominibus mortuis fiduciam collocetis, passim hoc illueque vagamini.

O! miseri, quid hoc mali est quod patimini? caligine  
Capita vestra cooperiuntur. . .“

4. Mysteriis ethnicorum refutatis et diis ipsis e medio sublatis ac destructis, Clemens sibi conscius est nondum se totam partem argumentationis suae negativam absolvisse, sed sibi superesse, ut permagnum paganismi propugnaculum illud, quod positum in venerazione simulacrorum deorum plurimum valeat ad deorum cultum sustentandum, impugnet atque plane deleat. Subit igitur bellum contra simulacula et imagines deorum, quibus ethnicos adhaerere magna cum tenacitate videt. Primum quidem Clemens dilucidat, quid sint ista simulacula re vera. Simulacula vero sunt opera vel artificia hominum ex ligno aut lapidibus facta; omni sensu carent et quod sunt, sunt per solam artem quae materiae forma quadam praebet existimationem divinitatis.<sup>48)</sup> Ut etiam plus expositioni suae affundat lucis, Clemens simulacula deorum cum animalibus vel infimis et imperfectis comparata gentilium oculis subjicit: „animalia illa,“ ait,<sup>49)</sup> „saltem vivunt et augentur, quum simulacula . . . Simulacula autem nihil prorsus agunt, nihil moliuntur, nihil sentiunt; sed alligantur, clavis panguntur et affiguntur et conflantur, limantur, sectantur, circumraduntur, caelantur. Ac stupidam sane insensibilemque terram dedecorant statuarii, dum artificio suo naturam ejus immutant eique divinos honores conciliant: quos mea quidem sententia non diis aut daemonibus, sed, ex quibus constant simulacula terrae et artificio persolvunt hi, qui deos faciunt. Nam aliud certe nihil est simulacrum, quam inanima terra, cui artificis manus formam impressit.“ Et alibi<sup>50)</sup>: „Materia semper indiget arte; . . . Prodiit ars; formam induit materia: cujas quidem substantiae pretium est ad luerum utile, sola vero forma venerationem ei conciliat. Itaque statua tua aurum est, lignum est, lapis est, terra denique est, si originem ejus persequare, quae ab artifice formam accepit. Ego autem terram calcare didici, non adorare.“

Quum igitur simulacula deorum reapse nihil aliud esse quam materiam Clemens satis demonstraverit, jam vix necesse est, ut idem ostendat, quam stultum et insanum sit ejusmodi simulacula colere honore divino. Atque Clemens melius se agere putat, si ethnicis in memoriam vocat, ex eorum numero viros quosdam simulacula contumelia affecisse. Mentionem facit<sup>51)</sup> Dionysii junioris, tyranni illius, qui „quum in Sicilia auream vestem Jovi detraxisset, jussit, eum indui lanea, facete dicens, eam esse aurea meliorem: ut quae esset aestate levior et hieme calidior.“ Alia quae sunt ejusdem generis praetermitto; neque tamen id omitto, quod factum est a Praxitele quodque illos ethnicos qui audiunt hoc, vehementer ad contempnenda simulacula deorum incitet. Praxiteles, ut auctor est Posidippus de Cnido scribens, cum Veneris simulacrum fabricaretur, Cratinæ, amicae cuidam sueae, quam potuit

45) Cohortatio, III, pag. 132.

46) Cohortatio, I. c.

47) Cohortatio, III, pag. 133.

48) Cohortatio, IV, pag. 161. . . . αἱ (χεῖρες) τῆς Θεοδοξίας τὸ σχῆμα τῇ ὑλῇ περιτεθείσασιν.

49) Cohortatio, IV, pag. 144 sq.

50) Cohortatio, IV, pag. 153.

51) Cohortatio, IV, pag. 145.

simillimam effinxit, ut illi sane miseri Praxitelis amicam venerarentur.<sup>52)</sup> Aliis etiam artificibus, qui similiter arte sua abusi erant, memoratis Clemens denuo ethnicos admonet, ut deos suos deserant sequentes judicium rationis suae. „Superest,“ inquit<sup>53)</sup>, „itaque, ut tu nunc judices, si velis, utrum foetidas meretrices adorare debeas.“ Nimirum veteres reges, qui tantam esse malitiam hominum tantumque deorum imbecillitatem viderent, „moti sunt, ut contemptis ejusmodi fabulis aperte atque palam propterea quod nullum ab hominibus periculum impenderet se deos renuntiarent: ea quippe ratione significabant, illos quoque gloria et dignitate sua immortalitatem esse consecutos.“<sup>54)</sup>

Quae quum ita sint, objurgationes et vituperationes, quas Clemens contra ethnicos propter venerationem simulacrorum cumulat quibusque eos exitio eripere studet, non jam nimis graves esse putabimus. Sic enim ille<sup>55)</sup>: „O impietatem! Naturam corruptionis immūnem defoditis, quod sanctum intemeratumque est, sepulcris obruitis, Deumque adeo ipsum, quoad a vobis fieri potest, vera sua natura spoliatis. Cur igitur Dei honores iis, qui non sunt dii, tribuistis? Cur coelo relicto, terram coluistis?“ Sed quia persuasum habet Clemens, in veneratione simulacrorum totam fere ethnicorum religionem consistere, eosque se his impietatis illecebris totos deditis, ut inde eos expellat, ostendit eis, quam impudicum atque turpe sit hoc genus cultus deorum et dearum. Monet severe, quod ab auctoribus ethnicorum comprobatur, fuisse quosdam, qui amore statuarum et imaginum dearum capti cum iis consuetudinem habuerint.<sup>56)</sup> „Tanta enim erat arti decipienti potentia, ut libidinosos homines ejus fraudibus captos in barathrum illiceret.“<sup>57)</sup> „Atqui similis est pictura.“<sup>58)</sup> „Adeo enim dediti sunt (magna pars hominum) lasciviae, ut pictis quibusdam tabellis e sublimi suspensis thalamos suos ornent et impudicitiam pro pietate habeant.“<sup>59)</sup> „Nec aliam ob causam hujusmodi picturas recipiunt quam quod effeminatae sint atque impurae.“ Hujusmodi venerationem picturarum naturae ac rationi humanae repugnare nec diutius retineri debere, ethnici intellegere coguntur a Clemente in hunc monente modum.<sup>60)</sup> „Haec sunt voluntariae vestrae ac delicatae vitae exemplaria. Hi vestri sermones; quibus petulantiam divino honore afficitis: hae, denique, deorum, qui una vobiscum stupro se ac libidini dedunt, doctrinae. Nam quod quilibet vult, hoc etiam credit, ut ait orator Atheniensis.“

5. Ut ex iis, quae hue usque de Protreptico exposuimus, satis appareat, Clemens, dum, qui qualesque ethnicorum dii revera sint, demonstrat, id assequi vult, ut illos ab omni superstitione et idolatria revocet atque liberet. Sed quum non satis sit, removeri aliquem ab errore nisi idem adducatur ad veritatem aut saltem alliciatur ad eam cognoscendam, Clemens utrumque sejungere non potest, praesertim quum, si veritas cognoscenda opponatur errori, error facilius et perfectius perspiciatur et tollatur. Praeterea constat neque Clementem effugere potuit, veritatem per se ipsam plurimum valere ad dissipandos errores, propterea quod in ea insit magnitudo et excellentia et pulchritudo, qua, si ea recte judicatur et ponderatur, animi hominum admodum moveri ac teneri solent. Nam praeclarum est illud<sup>61)</sup>: „Ubi Christus, (rursus) videtur (sc. stella), et viam demonstrat. Ergo stella haec via est et via Christus: quia secundum incarnationis mysterium Christus est stella. Orietur enim stella ex Jacob, et exsurget

52) Cohortatio, IV, pag. 148.

53) Cohortatio, IV, pag. 148.

54) Cohortatio, l. c.

55) Cohortatio, IV, pag. 153.

56) Cf. Cohortatio, IV, pag. 156.

57) Cohortatio, l. c.

58) Cohortatio, l. c.

59) Cohortatio, IV, pag. 160.

60) Cohortatio, l. c.

61) Homilia s. Ambrosii in Luc. cap. 2. (cf. VIII. Lect. III. Noct. die VI. infra Octav. Epiph.)

homo ex Israel. Denique ubi Christus est, et stella est. Ipse enim est stella splendida et matutina. Sua igitur ipse luce se signat.“ Haec vero explanatio idem sibi vult ac si veritas sive naturalis sive supernaturalis ex criteriis quae dicuntur internis ac positivis cognosci dicitur, quae quidem ratio cognoscendi hominum eruditorum conditioni accommodatissima est. Modum igitur docendi quem dixi etiam nunc usitatum Clemens optimo jure adhibet, quum magnam dat operam, ut ethnicos, futilitate deorum imprimisque simulacrorum demonstrata, ad cognoscendum agnoscendumque Deum verum perducat. Ante omnia autem res duplex est, quam ethnicis de inanitate deorum doctis magisque etiam docendis appetendam ac capessendam proponit. Una est ea, ut cognoscant Deum verum et unicum, cuius honorem atque auctoritatem idololatrae permagna afficiunt injuria. Altera posita est in eo, ut ethnici deposita omni nequitia emendent suos mores et magis magisque praeparentur ad gratiam Baptismatis suscipiendam, quam ob causam eis sanctitas et virtutes christianorum ante oculos ponuntur juxta illud<sup>62)</sup>: „Omnis virtus nos ad se allicit facitque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur.“ Quomodo Clemens utramque rem perseguatur et absolvat, accuratius jam videamus!

Primum quidem magni momenti et commemoratione mihi dignus videtur ille locus, quo Clemens Deum sola mente percipi dicit. „Apud nos autem,“ ait<sup>63)</sup>, „haud quidem e sensibili materia sensibile simulacrum, sed quod sola mente percipitur, est Deus, qui solus vere Deus est.“ His ex verbis sequitur, Clementis judicio esse Deum spiritum, non corporeum et nos ad cognitionem Dei pervenire per abstractionem quae dicitur. Idem docet Clemens, si declarat,<sup>64)</sup> „Deum esse nullius rei indigum.“ Eadem Dei notio invenitur in his quoque verbis, quibus Clemens ethnicos propter venerationem simulacrorum vituperat atque monet, ut desistant a superstitione sua<sup>65)</sup>: „Cur (igitur) Dei honores iis qui non sunt dii, tribuistis? . . . Cur (igitur) o fatui et amentes (juvat enim id repetere) . . . posthabito aeterno ingenitoque Deo, quae sunt facta et genita persequentes, in profundissimam caliginem incidistis?“

Maxime autem Clemens id agit, ut ethnici, qui non Deo ipsi, sed operibus ejus divinum honorem tribuerint, cognoscant, Deum esse Creatorem omnium et propterea eum solum adorandum et colendum honore divino. Itaque doctrinam de Deo Creatore, quam ratio cogitando atque investigando invenit, s. Scripturae verbis usus accurate exponit ac probat. Liceat hic iterum Clementis ipsius verba in medium proferre. Primum dicit,<sup>66)</sup> ethnicorum cultum superstitosum refelli hoc Prophetae dicto: „Quod omnes dii gentium sint daemoniorum simulacula: „Deus autem coelos fecit et ea quae sunt in coelo;“ deinde pergit sic: „Hinc autem arrepta nescio quo modo, occasione, nonnulli eo sunt

<sup>62)</sup> Cie. de offic. I, 17.

<sup>63)</sup> Cohortatio, IV, pag. 145. ‘*Ημῖν δὲ οὐκ ὑλης αἰσθητῆς αἰσθητὸν· νοητὸν δὲ τὸ ἄγαλμά ἔστιν, ὁ Θεὸς, ὁ μόνος ὄντως Θεός;* cf. ibidem not. 50.

<sup>64)</sup> Cohortatio, IV, pag. 153. ‘*O Θεὸς (δὲ) ἀνενδείξ.*

<sup>65)</sup> Cohortatio, IV, pag. 153. Verum est notionem Dei, quam his locis, quos modo attulimus, invenimus, esse intellectum metaphysice vel ut ita dicam esse transcendentalis. Sed errat De Faye, si ideam ac notionem illam Dei mere platonicam et Sacrae Scripturae alienam esse dicit. Qualem Dei notionem conceperit Plato, postea videbimus. A sacra autem Scriptura praedicari attributa Dei metaphysica sive absoluta aequa ac relativa satis constat. Cf. e. gr. Oswald, Dogmatische Theologie, tom. I. Recite igitur Hettinger (Apologie II. vol. pag. 468): „Was namentlich die Behauptung betrifft, dass denn doch vielleicht im Christentum etwas Platonisches sich finden dürfte, so enthält allerdings Christi Lehre alles, was in Platon's Lehren der natürlichen Vernunft entsprach, nicht weil es platonisch, sondern weil es wahr ist, wie denn, was an allen Systemen je Grosses oder Gutes war, der Geist der Wahrheit in Christus aufnahm. Christi Lehre ist weder platonisch noch aristotelisch, so viel Tiefes und Schönes auch Platon und Aristoteles ausgesprochen haben.“ Et falsum est, quod De Faye sic exprimit (I. c. pag. 222 sq.): Ces quelques textes (sc. Clementis) suffisent. Il est clair que par tout un côté sa conception de Dieu relève du platonisme, tel qu'on le professait de son temps. Il est clair aussi que toute cette métaphysique est fort étrangère au christianisme apostolique. Il n'y en a pas trace dans la conception du Dieu du Nouveau Testament. Encore moins faut-il y voir une influence quelconque de la notion du Dieu de l'A.-T.

<sup>66)</sup> Cohortatio, IV, pag. 161.

erroris prolapsi, ut divinum artificium, Solem, Lunam reliquumque astrorum chorū, potius quam ipsum Deum, colerent, ea scilicet perabsurde deos existimantes, quae nihil aliud sunt quam instrumenta quaedam, quibus tempora describuntur: „Verbo autem ejus firmata sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.“ Etenim humana ars et domicilia et naves et urbes et picturas conficit. Dei autem opera qua ratione enumerem? Aspice hunc mundum universum. Ille coelum et solem creavit, Angeli et homines sunt „opera digitorum ipsius.“ Quanta est autem Dei potentia, cuius sola voluntas est mundi creatio? Solus enim Deus mundum creavit, ut qui solus sit vere Deus, is autem opera sua volendo conficit ejusque velle sequitur fieri. Hic autem aberravit philosophorum chorus a veritate qui . . . quae in coelo apparent visuque percipiuntur, adorant.“ Denique consequens est haec cohortatio: „Ne quis igitur solem adoret, verum solis effectorem desideret: ne quis mundum reponat inter deos, verum mundi conditorem requirat.“

Superest, ut quomodo Clemens ethnicos etiam ad bonos et magis magisque ad christianos mores alliciat ac perducat, — vult enim eos magnopere turpitudini et lasciviae superstitionis eripere — breviter explicemus. Quamquam et religio ethnicorum id spectabat, ut mores hominum emendaret, nihil tamen in hac re profectum esse concedendum est. Clemens quidem, ut assequatur, quod postulet, bona christianorum morum exempla opponit turpitudini vitae ethnicorum itaque in promptu esse quod imitantur illi, in aperto ponit. Damnat alicubi adulterium, quod laudat Homerus, et addit haec:<sup>67)</sup> „quo (sc. adulterio) vel aures nostras inquinare religio est. Sumus enim nos, sumus qui in hoc spirante et movente simulacro, humano videlicet corpore, contubernalem nobis, consultricem, sociam et consortem vitae, quaeque participat nostros affectus, et pro nobis commovetur, imaginem Dei circumferimus. Christi gratia Deo consecrati sumus. Nos „genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus, quem sibi Deus ut propriam vindicat, qui quondam non populus, nunc autem populus Dei sumus“; qui, ut ait Joannes, non sumus ex inferis, sed ab eo qui superne venit, omnia didicimus; qui Dei dispensationem cognitam atque perspectam habemus; qui, denique, ad id sumus exerciti, ut „in novitate vitae ambulemus.“ Simili modo comparat Clemens christianorum virtutes imprimisque castitatem cum actionibus ethnicorum istis, quae conjunctae sunt cum cultu simulacrorum et imaginum et picturarum, et ita quidem, ut ethnici, si sequantur rationem suam, mores suos depravatos contemnere et abjecere, christianorum vero virtutes appetere atque consectari et debeant et studeant. Postquam enim eos valde reprehendit,<sup>68)</sup> quod „universas impudicitiae figurās aperte descriptas publicitus intueri haud erubescant,“ mores christianorum his effert laudibus:<sup>69)</sup> „Quarum rerum non modo usum, sed etiam aspectum et auditionem esse jam penitus obliteranda et memoriae eximenda annuntiamus;“ deinde eis causam atque fontem iniquitatis eorum monstrans monet eos, ne castigati pereant in vitiis, „sed ad portas salutis evadere“<sup>70)</sup> nitantur. Age, audiamus ejus vocem: „Scortate sunt autem aures vestrae, oculi quoque stuprum fecerunt. — O! qui humanae naturae vim intulisti, et quod in illa creatura divinitatis inest, dedecori atque probro veluti primitias quasdam obtulisti. Prorsus increduli estis, ut affectibus vestris obsequamini: et simulacris quidem fidem habetis, quod eorum intemperantiam sequi vobis propositum sit; eam vero Deo negatis, quia moderate atque continenter vivere haud sustineatis. Quo factum est, ut quae sunt praestantiora, odio, quae vero deteriora, honore prosequamini: et spectatores quidem virtutis, vitii autem pugiles (*ἀγρονισταὶ*) sitis. Quocirca soli felices sunt, ut ita dicam, illi omnes, unanimi consensu, ut Sibyllae verbis utar,

<sup>67)</sup> Cohortatio, IV, pag. 157 sq.

<sup>68)</sup> Cohortatio, IV, pag. 160. . . . πανδημεὶ θεάμενοι.

<sup>69)</sup> Cohortatio, l. c.

<sup>70)</sup> Cohortatio, IV, pag. 164.

Qui sibi visa licet divisorum tempora negabunt,  
Surdorum et lapidum, quae sunt altaria sedet:  
Ex lapide et manibus simulacra effecta virorum,  
Caesorum quae sunt animato insecta cruento,  
Quadrupedum, bipedum, volucrumque, et caede ferarum.“

Jam satis multum disputasse mihi videor, unde, quomodo Clemens ethnicorum religionem refutet, dignoscatur. Sequitur, ut ad alteram commentationis meae partem pertractandam transeam, et, qua ratione Clemens ethnicos ad veritatem christianam cognoscendam incitet adducatque, uberior exponam. Et verum est, hanc quae superest partem multo magis priore esse aptam et idoneam ad delectandos ac tenendos animos nostros; sed ut hanc totam materiam reliquam hac scribendi occasione data absolvam quia hic non capit locus, liceat mihi, quae hic desunt, in aliud seponere tempus. Vale interim lector!



## LECTIONES.

### A. ORDINIS THEOLOGORUM.

#### Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Selecta capita Geneseos interpretabitur bis per hebd. hora VIII.
- II. Reliquam partem Evangelii Johannei necnon S. Pauli apostoli epistolam ad Ephesios explicabit bis p. h. hora VIII.
- III. Exercitationes exegeticas instituet horis def.

#### Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

- I. De ss. Trinitate disseret bis hebd. hora X.
- II. Repetitiones dogmaticas instituet semel hebd. hora X.

#### Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam medii aevi usque ad Gregorii VII. tempora enarrabit quater hebd. hora IX.
- II. Jus canonicum tradere perget bis hebd. hora IX.

#### Dr. Antonius Kranich, P. P. O.

- I. Encyclopaediam theologicam explicabit semel hebd. hora def.
- II. Apologeticae priorem partem docebit bis hebd. horis def.
- III. Praemissa introductione doctrinam dogmaticam de Deo ejusque essentia atque de divinis attributis exponet, deinceps de s. Sacramentis disserere perget quater hebd. vel hora X. vel hora def.
- IV. Repetitiones et disputationes dogmaticas instituet semel hebd. hora def.

#### Dr. Josephus Kolberg, P. P. E.

- I. Theologiam moralem specialem exponere perget et exercitationes de rebus ad scientiam moralem pertinentibus instituet quater hebd. horis def.
- II. Historiam ecclesiasticam medii aevi a tempore Gregorii VII. tractabit bis hebd. horis def.
- III. De artibus christianis, quae saeculo decimo tertio, quarto, quinto florebant, disseret semel hebd. hora def.

**Dr. Bernardus Gigalski.**

- I. Vitam et scripta s. Pauli tradet diebus Martis et Veneris hora VII.
- II. Vitas et scripta veterum patrum enarrare perget exercitationesque instituet semel hebd. hora VII. Sabbato.

**Dr. Alphonsus Schulz.**

Introductionem generalem in s. scripturam dabit bis hebd. horis def.

---

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

---

**Dr. Guilelmus Weissbrodt, P. P. O., h. t. Decanus.**

- I. S. Augustini Confessiones cum commilitonibus leget ter hebdomade hora IX.
- II. Inscriptiones graecas et latinas selectas interpretabitur semel hebdomade hora IX.,
- III. Euripidis Iphigeniam Tauricam semel hora IX.

**Dr. Franciscus Niedenzu, P. P. O.**

- I. Familias plantarum maxime notabiles explicabit bis hebdomade hora VIII.
- II. Exercitationes morphologico-botanicas moderabitur semel hebdomade hora VIII.
- III. Excursiones ad observanda vegetabilia instituet semel hebdomade hora definienda.
- IV. Selecta physices capita experimentis illustrabit bis hebdomade hora VIII.

**Dr. Victor Röhrich, P. P. O.**

- I. Historiam Warmensem tradet ter hebdomade hora XI.
- II. Historiam universalem inde ab anno 1815 enarrabit bis hebdomade hora XI.
- III. Exercitationes palaeographicas moderabitur semel hebdomade hora XI.

**Dr. Johannes Uebinger, P. P. O.**

- I. Logicam docebit bis hebdomade hora X.
- II. Psychologiam tractabit ter hebdomade hora X.
- III. Exercitationes philosophicas moderabitur semel hebdomade hora X.
- IV. Exercitationes practico-paedagogicas instituet semel hebdomade hora def.

**Prof. Martinus Switalski, Lector ling. Polon.**

- I. Leges linguae Polonicae docebit exercitationesque colloquendi instituet bis hebd. horis definiendis.
- II. Adami Mickiewicz poëmata selecta interpretabitur semel hebd. hora definienda.

## Certamen litterarium et praemia.

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a Commilitonibus  
Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem  
propositarum promulgatio.

**Ordo Theologorum** has proposuerat quaestiones:

- I. **Ex instituto Regio:** De indulgentiarum genuina notione deque earum usu et fructu.
- II. **Ex stipendio Scheill-Busseano:** Ostendatur, quomodo capitula ecclesiarum cathedralium jus eligendi episcopi acquisierint.

De priore quaestione Ordini commentatio tradita est his inscripta verbis:

En agnus ad nos mittitur  
Laxare gratis debitum;  
Omnes simul cum lacrimis  
Prececumur indulgentiam. Hymn. fer. per adv.

Quam commentationem qui conscripsit, licet non sine mendis rem suam tractaverit et prae-  
sertim vestigia aliorum auctorum, quorum nomina non semper commemoravit, aequo plus presserit,  
diligenter tamen in re ipsa versatus est ita, ut praemio constituto non indignus esse videatur.

Schedula reclusa prodiit nomen:

Paul Fligge, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini oblata est his insignita verbis:

„Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille  
fur est et latro.“ Joh. 10, 1.

Opusculi auctor quae ad rem pertinent diligenter collegit, recte dispositus itaque absolvit, ut  
dignus praemio esse censetur.

Schedula rescissa innotuit nomen:

Hugo Gehrigk, stud. theol.

**Ordo Philosophorum** ex stipendio Regio hanc quaestionem proposuerat:

Quid inscriptiones graecae et latinae antiquissimae doceant, explicetur.

Ordini una commentatio subjecta est his verbis insignita: Tacent mortui, marmora loquentur.

Quam qui conscripsit, propter diligentiam et dexteritatem praemio legitimo atque adeo majori  
dignus videtur.

Schedula rescissa prodiit nomen:

Johannes Wronka, stud. phil.

In currentem annum hae quaestiones proponuntur:

**Ab Ordine Theologorum:**

- I. Ex instituto Regio: De virtute prudentiae ejusque cum ceteris virtutibus nexu juxtam S. Thomae Aquinatis disputetur.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De jejuniorum in ecclesia Warmensi observatione commentatio historica.

**Ab Ordine Philosophorum:**

- Quorum animalium in Scriptura sacra mentio fiat, exponatur.  
Certantium commentationes sermone latino conscriptae ante Kalendas Decembres Rectori Lycei tradendae sunt.

## Publica doctrinae subsidia.

- I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Uebinger**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
- II. Apparatum arti christiana illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich**.
- III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt**.
- IV. Instrumenta collectionesque, quae ad physicen, mathematicam, astronomiam et historiae naturalis disciplinas pertinent, asservat necnon horto botanico praeest **Prof. Dr. Niedenzu**.